

quia tamen hoc loco cum nomine regionis proprio conjungitur, rectius de prioritate loci, quàm rei aut temporis accipitur, ut accuratissimè monet in *pralect. publ. ad cap. 2. Genes. Plur. Rev. Dn. D. Iohannes Musæus*, quem hic honoris, amoris, reverentiæ & accuratioris ergò nominare intererat plurimum. Intel-
ligitur hinc procul dubio, quid censendum sit de iis, qui totum mundum paradysum faciunt; hoc enim si fuisset, quid opus erat producere in mundo Eden, & in Eden hortum? sed festinatio, ut ea persequar, quæ orsus sum, prohibet, ne hic sim prolixior. Plura tamen præter ea, quæ in *Dissertationibus suis Academicis* habet ante laudatus *Dn. Bæclerus* sollicitus harum rerum inda-
gator inveniet apud *Chassaneum de Glor. Mund. Ludenium de in-
format. prudent. Exerc. 2. Micrael. quest. 3. Herm. qu. 3. Dec. 1. Gueinsium in Vite pag. 183. Kirchmeierum pecul. tractat. de Parad. & qui nobis instar omnium est, B. Gerhardum Comment. in Genes.*

§. VII.

Atque ita lustravimus, quem omnipotens Dei manus struxerat hortum, umbras nunc videamus & rudes cœlestis illius amcenita-
tis æmulationes, quæ eblandiente quadam suavitate invitarunt Reges & Principes, ut scapham cum sceptris, aut conjungerent, aut permutarent. Sed ne labor, quem suscipimus, prolixior videatur, quàm qui perfici possit, immensus enim esset exhaurire omnes, unum & alterum hortum in hac classe animo contem-
plabimur. Non verò possumus, quin primas tribuamus Salomonis vicidariis, de quibus ipse in *Ecclesiaste cap. 2. vers. 5. Hortos feci,* inquit, *& pomaria, & consevi in iis omnis generis fructus.* Ast, in-
quiet, hac de re qui dubitat: Sceptra Rex moderabatur, non pa-
lam: sedes ejus thronus erat, non humus: hominibus imperabat, non floribus: Rei, non horti, salutem quærebat. Speciosas esse rationes fateor; an igitur recedendum erit, vel à scripturæ fide minimè: aut litera ejusdem? ne latum quidem unguem. Ab hujus enim generis insultibus nos felicissimè liberat *Clarissimus Ferrarius Italus* in elegantissimo libro, quem inscripsit: *Flora overo cultura di-*
simp
Fiori,